



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-585620-p0001-8

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-585620-p0002-4

DFG

30

39

1623

2

DISPUTATIO
PHILOSOPHICA,
De
CONJUNCTIONIBUS
MAGNIS IN GENERE,
& de
NUPERRIMA, QUÆ MENSE
JULIO ACCIDIT, IN SPECIE.

Quam

Juvante DEO

Astrorum Conditore ac Moderatore

P RÆ S I D E

M. JOHANNE MÜLLERO
VRATISLAVIENSI SILESIO, DESI-
GNATO PHILOSOPHIÆ PRACT.

PROFESSORE PUBL.

P U B L I C O E X A M I N I
proponit

M. JOHANNES SCHWALBE,
Misnensis Misnicus, Alumnus
Electoralis,


Ad diem 8. Augusti, horis matutinis,
in Auditorio majori.

W I T T E B E R G E,

Typis CHRISTIANI THAM, Academ. Typogr.

M D C X X I I .







Sextus Iesu.

DE CONJUNCTIONIBUS MAGNIS IN GENERE, ET DE NU- perrimâ in Specie, quæ Anno currente, mense Julii visa fuit.

I.



Aria sapientissimus mundi Architectus *Astra à Deo
J E H O V A* in admirandum cœli theatrum, va- *creata.*
rii coloris, lucis, molis atq; motus collocavit lu-
mina; quæ sine numero in numerum quotidiana-
nas ducunt choreas, lucisq; puritate, corporis
quantitate, motus celeritate, & occultâ Forma-
rum qualitate omnium oculos in se convertunt,
omnium animos in stuporem rapiunt, plurimosq; ad assiduam sui
contemplationem occulto quasi stimulo impellunt.

II.

Ut enim D E U S & Natura aliâs nihil frustra faciunt, & omnia
propter suos condita sunt fines, sic etiam Astra ideo cœlis non sunt *certos fines.*
apposita, ut otiosè circumvagentur, & solo aspectu nostros oculos
exhilarent; verùm hoc fine creata sunt, ut in hæc sublunaria vari-
os habeant influxus ratione tempestatis, fertilitatis aut sterilitatis,
temperamentorum & quæ inde dependent, actionum; quippe *con-
ditæ sunt in signa, tempora, dies & annos, Genes. 1.*

III.

Signa igitur sunt 1. Infinitæ sapientie Dei, qui Vergilius & Orio- *Ut sint si-
nem aperit, Arcturum cum filio suis producit celosq; numerat in sapientiâ, Jo- gna sapien-
bi 38. v. 31. 32. 37. qui facit Arcturum & Orionem, Amos 5. v. 8. qui numerat tæ
multitudinem stellarum & omnes suis nominibus vocat, Psal. 147. v. 4. 2. Im-
mensæ potentie Dei, qui corpora ista ingentia & molem terream mul- & potentie
tis modis excedentia ex nihilo creavit, unde *cœli cœlorum dicuntur Dei.**

A 2

anun-

anunciare gloriam ejus & opera manuum ejus firmamentum, Psal. 19. vers. 1.
hinc laus illa, de qua dicitur, quod Sol & Luna laudent Deum & omnes
Temporum. stellæ lucentes, Psal. 148. v. 3. 3. **Temporum**, fecit namq; has Deus in dies
& annos, Gen. 1. v. 14. Solem dedit in dominium diei; Lunam verò & stellas
in dominium noctis, Psal. 136. v. 8. & 9. Solem in lucem diei, & Lunam ac
Mutatio- stellas in lucem noctis, Jerem. 31. v. 35. 4. **Mutationum** in sublunaribus, quo
in sensu Salomon suam describit sapientiam, quod vicissitudines
temporum, & tempestatum varietatem, annorum circuitus & situs
stellarū noverit, Sap. 7. v. 18. 19. nam, inquit, omnia sapiens artifex dosuit me.

IV.

Ergo dili- Signa igitur cùm sint, ideo clausis vel conniventibus oculis ea
genter sunt intueri nefas est; sed studio indefesso & accuratâ operâ observemus
observanda positum stellarum, quem sapiens artifex docet, Sap. 7. v. 21. quæq; mutatio-
nes retro lapsis seculis factæ sint, sedulò annotemus, cogitantes il-
lud Poëtæ:

Oshomini sublimē dedit, cœlumq; tueri
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

V.

Adam hec Cum verò cognitio duplex sit, alia à priori, alia à posteriori, quæ-
cognovit à ritur hic, quænam circa hoc stellarum objectum nobis sit tribuen-
da. A priori poterat Adam nosse; cognitio namq; ejus erat perfectissima, nam Verum in Intellectu, Bonum in Voluntate habebat modo excellen-
tiissimo: unde etiam nomina rebus imponebat, poterat enim formas
nosse, & rerum differentias. In specie autem quod hâc astrorum no-
titia excelluerit, testatur Josephus, qui Tabulas Astronomicas ab
Adamo conscriptas apud filios ejusdem repertas fuisse, in suis do-
cet Antiquitatibus.

VI.

Nos verò à posteriori effectus & influentias syderum cognosci-
mus: nam ex multis particularibus exemplis colligimus regulas uni-
versales, & ex observatione extenuimus experientiam. Exempli cau-
sâ, quod Hyades pluvias excitant, ecquis ex nudo aspectu dirinare posset? quia
verò semper ferè ita accidit, ut iis cum Planeta pluvialis Cosmice orientibus,
pluviae excitentur, hinc fit à posteriori, ut in numerum stellarum pluvialium
referantur.

VII. Ve-

VII.

Verum enim verò observationes hæ astrorum & eorum, quæ *Inter alia* astra signant, maximam partem dependent ab *Aspectibus*: Deus nam *multū ex* que qui omnia in numero pondere & mensura creavit & sustentat, *Aspectibus*. & hic certâ utitur mensura atq; numero; dum corpora stellarum errantium certo situ atq; positū ad se invicem relato disponuntur, quem positum *Aspectus* vocamus, qui nihil est aliud quām *habitudo* quādam situum & radicum ad se invicem, quibus *Planetae* Planetæ virtutēs congenitam & insitam communicat.

VIII.

Aspectus hi non sunt unius generis, alius enim est *Conjunctionis*, *Aspectus* re- alijs *Distantiae* & hic quidem vel est *extremus* vel *intermedius*: *extremus* rō sunt di- est *Opposito*, cum duo *Planetæ* sex integris signis vel 180.gr. ab invi- versæ natu- cem distant in Sol & Luna in plenilunio. *Intermedius* est *triplex*, vel *ræ*. *Trigonus*, vel *Quadratus*, vel *Sextilis*. *Trigonus* est, cum tertia Zodiaci parte, hoc est 4. signis seu 120. gr. *Planetæ* à se distant. *Quadratus* est, cum quartâ Zodiaci parte, id est tribus signis seu 90. gr. *Planetæ* ab invicem currunt. *Sextilis* tandem est, cum sextâ Zodiaci parte, id est duobus signis seu 60. gr. se *Planetæ* respiciunt. *Coniunctio* autem est *Planetarum* in eodem Zodiaci loco conventus. *Recentiores addunt* *Quintilem* & *Bi-quintilem*, alii adhuc *Semi-sextilem*.

IX.

Maximè verò Excellens & Insignis præ cæteris est *Coniunctio*, *Coniunctio* siquidem juxta tritum Astrologorum effatum, *corporalis præsentia* ac verò est *præ* *unio longè efficacior* est & *operosior* eā *virtute*, quæ per *irradiationem communi* cipius illo- niciatur in *distantia*, nam *irradiatio* quò partilior eò est potentior. rum.

X.

Est autem *Coniunctio*, ut antea dictum, *verus conventus* seu *con-* *cursus* *Planetarum* *duorum* vel *plurium* in *eodem* *gradu* vel *etiam minuto* si- *Quid sit* gni ejusdem *constitutorum*, *sive cum latitudine aliquà sive sine latitudine*. Sic *Coniunctio* in Novilunio Sol æquè cum Luna conjungitur, quamvis cum de- flexione, atq; sit in Eclipsi; ubi ob latitudinis carentiam, aspectus Solis, Lunæ interventu, ab oculis nostris aufertur, & impeditur.

XI.

Nos omissis multis generalibus, quæ de *Coniunctione* possunt *Quotuplex* proponi, præceptis, directè ad ejus *Divisionem* nos convertimus. sit.

Est autem **Conjunctio quadruplex**: vel **Maxima**, vel **Magna**, vel **Media**,
vel **Minor**, de quibus ordine.

XII.

Quid fit Minor. Minorem vocant, quando Luna cum aliquo ex Planetis con-
jungitur, sicut in unoquilibet mense fieri solet, ut omnibus con-
jungatur, dum omnia signa percurrit, & sic se omnibus Planetis as-
sociat.

XIII.

Quid Me- dia. Conjunctionem Medium vocant, quando Saturnus vel Jupi-
ter cum uno vel pluribus sequentium Planetarum copulantur: quod
pertinent **Conjunctiones** Saturni & Martis; Saturni & Solis; Sa-
turni & Veneris; Jovis & Martis; Jovis & Solis, &c.

XIV.

Quid Ma- gna. Conjunctionem Magnam vocant, quando Saturnus & Jupi-
ter in una rectâ lineâ Circuli Longitudinis in uno Zodiaci puncto
certi Trigoni uniuntur; qualis fuit ea, quæ nuper accidit, dum duo
hi superiores in 6.gr. Leonis congregabantur; de quâ postea pluri-
bus.

XV.

Quid Ma- xima. Maximam vocant, cum Saturnus & Jupiter translatione no-
vâ ex Trigono Aqueo in Igneum transeunt; qualis facta est nostro
tempore, post mundum conditum septima.

XVI.

Hic tantum Magnam contempla- bimur. Nos sepositis reliquis speciebus in præsentia unam **Conjunctio-**
nem Magnam contemplabimur, eamq; tum in *Genere*, tum in *Specie*.
In *Genere* antea diximus, quod **Magna Conjunctio** sit duorum superiorum
Planetarum in aliquo **Trigonorum congregatio**: circa quam descriptionem
notabimus, 1. Planetas congregantes, quinam sint & cuius natu-
ræ, 2. Locum, quo convenient, 3. Tempus in quo conventum in-
stituunt.

XVII.

Dicitur ve-
rò magna propter magnitudi- tarum. Antequam verò hoc fiat, Rationem Nominis assumamus, cur
Magna dicatur; fit autem hoc 1. propter magnitudinem Planetarum
congregantium, quâ reliquos omnes excepto Sole excedunt. Nam
Saturnus secundum calculum Tychonis à terris distat 9073000. mil-
liaribus Germanicis, terræq; magnitudinem, vicies & bis excedit,
quamvis olim nonages illam excedere dictus sit. **Jupiter** verò,
juxta

juxta ejusdem Tychonis calculum à terris distat 2431400. milli-
ribus Germanicis, & ferè quater & decies terram excedit magnitu-
dine. 2. propter magnitudinem Periodi. quā revolutiones ad eundem. 2. Magni-
locum revertuntur, nam si isti Planetæ omnes Trigonos perorre-
tudinem
rint, & ad Trigonū revertantur, effluunt anni 794. dies 214. pro qui-
bus tamen numerus completus ponitur à Keplero & aliis, ita ut
magna illa revolutio sit annorum 800. 3. propter magnitudinem seu 3. Longitu-
potius longitudinem moræ, non enim ut fit in Conjunctione Solis & dinem mo-
Lunæ, vel Mercurii & Veneris cum his, paucis diebus aut horis re-
commorantur, sed tempore bene longo ferè ad biennii spaciū, su-
am fynodum celebrant, quemadmodum hoc præsens Conjunctio
monstrat. 4. propter magnitudinem rerum, quas vel significat vel efficit: 4. Magni-
quænamq; mutationes in rebus Ecclesiasticis & Politicis, in publi-
cis & privatis sub his conjunctionibus evenerint testantur historiæ effectus.
omnium temporum, & nos pauca postea recensēbimus, unde et
iam Climacterica à quibusdam vocatur.

XVIII.

Excussa sic Ratione Nominis, nunc ad tria circa Descriptio- *Quæ Na-*
*nem notanda nos convertimus, & 1. quidem ad Naturas Planetarum tura *Saturni**
*congregentium, qui sunt *Saturnus*, & *Jupiter* situ inter Planetas supre- ni.*
mi, eurus tardissimi, mole magni. *Saturnus* est stella coloris plum-
bei, quò ad apparentiam aliàs obscurior, licet hactenus ob suam in
Perigeo existentiam clarior apparuerit. Motum exercet longè tar-
dissimum quippe quem intra annos 29. & 155. dies in Zodiaco com-
plet, unde etiam Tardigradus dicitur. Constitutionis est frigidæ &
siccæ (potius frigefacientis & exsiccantis cum non inhæsivè sed ef-
fectivè hæ qualitates illis tribuantur) id quod experientiâ & diu-
turnis observationibus ab Astrologis deprehensum est.

XIX.

Jupiter, ob naturæ clementiam quasi Juvans pater dictus, est *Quæ Natu-*
stella colore & luci Veneris non absimilis, unde à vulgo imperito *ra Jovis.*
sæpius pro Hespero fuit habitus. Virtutem & *evaginas* ejus *Prot.lib.1.*
Quadrip. text 30. ita describit: *Stella Jovis naturæ temperata est, media*
enim habetur inter frigidam Saturni & astuosam Martis effectiōem. Cale-
facit autem & humectat, & quia calefaciendi vis precellit, ideo venti facundi
a Jove



à Jove excitantur. Cursum suum Periodicum absolvit in Zodiaco
spatio undecim annorum 313. dierum & 15. horarum.

XX.

Locus Con- Hæc de Planetis ipsis ; sequitur nunc *locus*, in quo conveniunt.
junctionis. Ubi sciendum, totum Zodiaci circulum in duodecim æquales par-
tes dispesci, quæ dicuntur signa vel *χηναλισμένα*, propter figuræ ani-
malium , ad quas stellæ ibidem existentes arte per imagines sunt re-
dactæ propter docendi commoditatem.

XXI.

Zodiaci si- Duodecim istæ partes seu signa , cùm diversæ naturæ sint &
gna in 4. constitutionis propter Fixas ibi hærentes , diversas etiam juxta qua-
Trigonos litates diversas sortita sunt appellations , ita ut illa , quæ constitu-
distributa. tionis sunt calefacientis, dicantur *Igneæ*, quæ frigefacientis, *Aqueæ*,
quæ humectantis, *Aëreæ*, quæ exsiccantis naturæ sunt, dicantur
Terreae.

XXII.

Signa unius Naturæ ita sunt disposita , ut quintum quodvis si-
gnum inclusivè numeratum à termino cum aliis signis collatum
Trigonum efficiat seu Figuram Triquetram : hinc quatuor inde
emergunt Trigoni , siquidem signum unum à sequenti similis natu-
ræ per Trianterem circuli, hoc est 120. gr. est remotum. Hinc *Trigonum*
Igneum efficiunt *Aries, Leo, Sagittarius, Terreum, Taurus, Virgo, Capricornus,*
Aéreum, Gemini, Libra, Aquarius, Aqueum, Cancer, Scorpius & Piscis.

XXIII.

Qualitates Non verò probare possumus quorundam opinionem , statu-
de Trigonis entium, quòd istæ quatuor qualitates Trigonis hisce competant non
dicuntur eo sensu ac intentione , ac si tales qualitates efficiant ; sed tantùm
propter ef- eo respectu , quem habet natura animalis illius , cuius nomen ad si-
fctum. gnum est relatum. Breviter : *nuncupari Trigonos istos Igneos, Terreos*
&c. non quòd habeant cœréptores calefaciendi, siccandi &c. sed quia anima-
lia, quorum figura in ipsis Trigonis depicta cernitur, hisce qualitatibus
prædicta sint ; & sic signa hæc titulum & nomen sine re habeant.

XXIV.

Trigono- Sanè inficias ire haud possumus , distributionem illam signo-
rum distin- rum esse rationis , ab artificum instituto dependentem, proptereaq;
ctio est ra- signorum in se ac per se nullas esse affectiones, nullas qualitates : af-
ferere

ferere tamen tuto possumus non esse eam rationis ratiocinantis sed rationis ratiocinatae, cum fundamentum aliquod in re ipsa habeant.

ratiocinatae.

XXV.

Etenim si Fixas circa illa signa harentes consideramus, deprehendimus sanè bonam illarum partem ejus esse naturæ ac constitutionis, qualem signis ex effectuum evidentiâ attribuerunt periti artifices. Et licet contrariarum qualitatum ibidem inveniantur stellæ, à prædominantibus tamen, ut potè principalioribus, jure merito fit denominatio. Quod utevidens fiat & manifestum, signa tantum Ignei Trigoni demonstremus & res ipsa loquetur, quod res cum verbis convenienter eant.

XXVI.

Arietem esse signum calidæ naturæ, & Igneum, inde colligitur, *In specie* quod per illud intersectio Verna circuli Æquinoctialis recta transsecat: quod intersectionis punctum quando sol attingit, vernum reducit Tempus, ubi inferioribus hisce frigore quasi enecatis, calorem, vitam vigoremq; communicat. Hinc Astrologi non abs re *Domicilium Martis Exaltationem verò Solis*, in illo signo constituunt. Leonem signum esse Igneum monstrant stellæ de naturâ Martis & Solis inibi comprehensæ; ut sunt *Aselli*, os *Leonis*, dextrum genu *Leonis*, cor & pectus *Leonis*, unde Astrologi in Leone *Solis domicilium* constituunt. Sagittarii signum iisdem de causis huc refertur, quoniam tres stellas de naturâ Jovis & Martis, inter quas media est *Cor Scorpii* stella calidisima, in se continet. Ex quibus concludimus Qualitates stellarum præcipuas & maximè evidentes istis signis tributas fuisse, ideoque non gerere nomen sine re.

XXVII.

Trigoni verò isti ratione Conjunctionis Magnæ aptam habent dispositionem & ordinem, ita ut talem processum servent. Prima omnia Conjunction accedit in Trigono igneo ejusq; signo primo quomodo in scilicet Ariete; post 20. annos devenit ad Sagittarium, & iterum post alios 20. annos ad Leonem, ex quo rursus in Arietem deveniunt, usque dum elapsis annis ducentis in alio Trigono, nempe Tereo convenienter abhinc totidem annis effluxis contendant ad Aëreum; & totidem annis effluxis tandem ad Aqueum donec annorum 800. circiter spatio elapso ad Igneum Trigonum iterum devolvantur.

B

XXVIII.



XXVIII.

Tempus.

Sic fuit *Locus Conjunctionis*, sequitur *Tempus*, quod est annus quisq; vicesimus, ut modò dictum. Causa cur hoc tempore semper conveuant, est hæc: *Saturnus Planetarum supremus ad idem Zodiaci punctum medio suo ac æquabili motu in spatio 30. ferè annorum* redit. *Jupiter autem intra 12.* Unde fit, ut si hi Planetæ à Conjunctione digrediantur, intra 20. annos vix tandem convenient, non quidem in eodem signo, ubi antea conjuncti erant, sed in tertia parte Zodiaci in signo aliquo, quod ejusdem naturæ est, cuius fuit illud prius.

XXIX.

Ratio cursus & conjunctionis.

Si enim *Saturnus* intra annos 30. *Jupiter* verò intra 12. tetum circulum peragran, sequitur *Saturnum* in duobus cum dimidio annis unum signum; *Jovem* verò quolibet anno unum pereurrete. Sequitur etiam, quod *Jupiter* quolibet anno *Saturnum* uno signo cum dimidio antevertat, ita ut *Jupiter* intra 20. annorum spatiū non tantum 12. signa perambulet, sed insuper octo adhuc invisat, quod octavum à præcedente conjunctione signum *Saturnus* tandem attingit, ut ita ibidem deuò congregiantur. Prout hoc enucleat *Sethus Calvisius in Elencho Calendarii Gregoriani, lib. I. cap. 2.*

XXX.

Exemplum illius.

Exempli causa; *Saturnus & Jupiter*, si in signo *Arietis* conjuncti fuerint; *Saturnus* intra istos annos 20. perambulat octo signa, & anno vicesimo pervenit ad *Sagittarium*; *Jupiter* autem intra istos annos 20. percurrit semel totum *Zodiacum*, & ab *Ariete* secundâ vice incipiens adhuc octo signa, & sic eodem anno 20. pervenit ad *Sagittarium*. Et sic in annis dicensis pergunt, sæpiusq; à reliquis Planetis cursu velocioribus ibi deprehenduntur.

XXXI.

Cùm verò non exactè iisdem etiam gradibus, quibus antea conjuncti fuerant, iterum convenient, sed partes eas, tribus fore gradibus transcendant, accidit, ut ex signis istis Igneis in Terrea transfeant, quæ proximè sequuntur, abhinc in aërea & tandem in aquæa. Unde fit ut, priusquam ad initium Trigoni Ignei redeant, quadraginta convenient.

XXXII.



XXXII.

Obiter vero hic non negligenda erit observatio, quod infra Conjunctiones etiam extra Igneum Trigonum factae omnes dicantur Magnæ Conjunctiones; Genus tamen hoc non esse *Sυνάωμα*, sed *περὶ τὴν καὶ Φύσην*: siquidem περὶ τὰς & καὶ ἐξοχήν, quæ sit in Triplicitate ignea, hoc nomine gaudet.

XXXIII.

Et sic de Magnis Conjunctionibus in *Genere*: Methodi ratio *De Conjunctionibus*. nunc postulat, ut de unâ agamus in *Specie*, scilicet de eâ, quæ Mense *Julio* anni hujus facta est: circa hanc considerandæ erunt tum *circaigna in Specie*, tum *effectus*. Circumstantiæ sunt tres, *Locus*, *Tempus*, *Duratio*. cie.

XXXIV.

Locus est Trigonus igneus & quidem medium in illo signum, *Locum*. *Leo*, in cuius gradu 7. partiliter, quod ad Longitudinem coniuncti fuere: ratione Latitudinis autem aliqua fuit distantia: nam Latitudo Saturni fuit o.gr. 4.m. Meridionalis; Jovis autem fuit o.gr. 14. Septentrionalis, quæ tamen distantia Latitudinem Conjunctionem non impedit.

XXXV.

Tempus est annus 1623. dies $\frac{9}{10}$ Julii, idq; matutinum paulò ante *Tempus*. Solis ortum; ubi monent artifices, accuratiorem esse calculum Tychoonis calculo Copernici; ut ita juxta Tychoonis calculum paulò ante horam quartam conjuncti fuerint.

XXXVI.

Duratio extendit se usque ad finem Junii, Stili Novi, sequentis *Duratio*. anni: Mars enim tum temporis signum *Leonus* ex unâ parte ingrediens; ex alterâ hos duos Planetas expellet, & Cœlophonem huic Conjunctioni imponet, quod tempus observatu dignum erit.

XXXVII.

Effectum quod attinet, Conjunctionis Magnæ, non tantum hujus, sed illarum omnium quæ in hoc Trigono fiunt, duo circa illum *Coniuncti* consideranda sunt. 1. *an detur*. 2. *qualis sit*. Dari effectum, præsupponimus probatum ex generali astrorum & illorum configuratio- ne experientiâ; qualis autem sit hujus Conjunctionis in Igneo Tri- gono, id vero est, quod omnes scire desiderant, omnes fieri expectat, & totus mundus cum admiratione suspirat. Nos nec scitis revela-

tionibus inhiamus, nec miseris quantitatibus efficitatibus aliquid tribuimus, nec nobis Spiritum Propheticum arrogamus, interim paucis quædam generalia dicemus, quæ in Naturâ & Arte atq; obseruatione quoddam habent fundamentum. Docendi causâ effectum hunc dividere possumus in Generalem & Specialem: Generalis est, singulare, admirabile & toti mundo stupendum quid; quod probamus sequentibus.

XXXIX.

Ab Inducti-
one.

I. *Exemplorum Inductione.* Inductio est singularium collectio, dicunt Logici, & ubi non datur exemplum contrarium, universaliter concludere licet. Jam verò observationes omnium Conjunctionum Magnarum sub Igneo Trigono monstrant effectum singularem & admirandum. Nam annis 800. post mundum creatum in primâ Revolutione contigit *Enochi in cœlos translatio* & *insignis mundi mutatio*, dum impietas Cainitarum insigniter invaleret & justi misericordia seducerentur. Secundâ Revolutione annis 1600. post mundum conditum, facta est *mundi totius per diluvium submersio*, & *Noachi fidelis conservatio*. Tertiâ Revolutione, annis 2400. post M.C. facta est *admirabilis Israëli ex servitute Ægyptiacâ per Mosen liberatio* & *novi regni institutio*. In quod tempus Deucalionis diluvium incidere, & nova regna in diversis mundi partibus condita fuisse à Thessalo, Cecrope, Arcade, Dardono, Prometheo, scribunt Historici. Quartâ Revolutione annis 3200. post M.C. facta est *Populi Judaici in Babyloniam abductio* & *Rome urbu edificatio*; quo tempore etiam Olympiades Græcorum numerari cœptæ sunt. Quintâ Revolutione annis 4000. post M.C. facta est *Christi Monarchæ cœli & terræ incarnatio, passio, mors & resurrectio*; *Ecclesia Novi Testamenti constitutio*, & per apostolos propagatio, *Regni Judaici abolitio*, & *insignis Romane Monarchæ auctor & edificatio*. Sextâ Revolutione annis 800. post Natum Christum, facta est *Imperii Romani per Carolum Magnum ab Italiis ad Germanos translatio* & *insignis Papatus accretio*. Septimâ Revolutione post C.N. 1600. & his sequentibus redierunt *Saturnus & Jupiter ad igneum Trigonum* & *hoc quidem anno secundâ vice*, primò enim in Sagittario, Anno 1603. & *conjungebantur*. Ergo concludimus sub hoc Trigono expectandum esse aliquid novum & admirandum, quod quale sit novit ille,

qui



qui priora ut fierent, effecit, & ut his similia fiant, nunc efficere potest, valetque, id quod per signa minatur.

XXXIX.

2. Numeri Septenarii occultâ significatio. Numerus septenarius à Numero est mysticus, eoq; Deo placuit uti in naturalibus & divinis. Septimo Septenario die quievit à creatione: Septimus Patriarcha in cœlum vivus abreptus est; post dies septem Columbam ex arcâ emisit Noah; 7. lampades erant in tabernaculo, septies Sacerdos spargebat sanguinem coram Domino; 7. agni, 7. vaccæ, 7. anni, 7. altaria &c. imò maxima Legis Ceremonialis & Forensis ratio in circumstantiis numeri septenarii consistebat, quod vel sexcentis exemplis demonstrare possem. In Novo Testamento sit sola Apocalypsis instar omnium, in quâ septem Ecclesiaz, 7. Spiritus, 7. lampades, 7. stellæ, 7. angeli, 7. voces, 7. faces, 7. sigilla, 7. cornua, 7. oculi, 7. angeli, 7. tubæ, 7. tonitrua, 7. capita, 7. coronæ, 7. plagæ, 7. phialæ, 7. Reges &c. Quæ Spiritui Sancto placuerunt non sine gravi causâ numero septenario efferre, sic septem sunt Planetæ, septem Electores, septem mundi miracula, septimus annus est Climactericus &c. Jam verò septima est Saturni & Jovis ad igneum Trigonū Revolutio post mundum conditum. Ergo Deus qui numero septenario hactenus usus est mirabiliter hoc septenario sine omni dubio utetur in opere magno. Ineptias de efficaciâ quantitatis hic nemo nobis affingat. Tacemus Politica & Historica, regnorumq; Revolutiones, quas numero septenariô aliquid accrementi vel decrementi semper accepisse, ab aliis demonstratum est.

XL.

3. à Cometæ nuperrimi singulari confiratione. Vedit Tonus mundus horrendum cometam, quem Deus anno 1618. ut Prodromum singularem hujus Magnæ conjunctionis præmisit. Hic cum Trigono te. igneo, in primis autem signo Leonis conſpirationem habebat singularē, quā nobis digito quasi monstrare voluit, huc oculos nostros esse convertendos. Nam ortum duxit in signo Sagittarii, in quo Conjunctionio Magna anno 1603. contigit: interitum sumpsit in signo Leonis, in quo Conjunctionio Magna anno 1623. contigit. Testantur hoc nobis præter alios Viri Clarissimi; ut D. Ambroſius Rhodus, Mathematicum P. P. qui in suis observationibus hæc scribit: Apparuit Co-

B. S.

meta

metu ultimum in principio 2. Jan. hor. 12. noctis in 4. gr. Leonis cum decrescere: Latitudine, cum jam ipsis Calendis Januariis in locum Conjunctionis Magnæ, Saturni & Jovis anno 1623. in 6. gr. Leonis futura non sine omni dignitatem quasi intendisset. Simili ferè modo scribit M. Erasmus Schmidt Graecæ L. & Mathem. P. P. in Prodromo suo Conjunctionis Magnæ: Hie er nun seinen Anfang gewonnen in primis gradibus Sagittarii, in circulo latitudinis Conjunctionis Maxima, anno 1603. cum corde Scorpiū; also hat er auch seine Endschafft genommen in primis gradibus Leonis, in circulo latitudinis Conjunctionis Maxima anno 1623. futura, circa Caudam Draconis Meridiani. Hæc autem fortuitò facta esse nemo nisi inscius operum Dei affirmet: Sapientia & bonitatis Dei, hoc est, qui corporibus cœlestibus mirabilia & designat & simul efficit.

XLI

ab aliis
Conjuncti-
onibus.

4. à Planetarum multorum cum hi duobus Conjunctione; Conspic-
rant & hic exactè superiora cum inferioribus: ut enim Imperatores
Romani suos convocant Electores, concilia ineunt, de hoc vel illo
instituendo aut abrogando; modò consimili Sol princeps Planetarum
suos convocat Collegas reliquos, nempe Planetas omnes, inq;
suo domicilio, id est in Leone, quod signum Solis est velut quoddam
insigne palatum, in quo dum residet, peculiares in sublunaria opera-
tiones habet. Conveniunt ergo omnes Planetæ in hoc signo multis
vicibus: Ingressu enim Saturno & Jove in Leonem, sequuntur Venus 13. Ju-
nii & Mercurius 21. Junii, Sol tandem ipsis 13. Julii, intra quod tempus Luna
aliquoties his Planetis junctis conjungitur. Imo numerant numero viginti
duas Conjunctiones intra illud tempus spatium, qua Planetæ hi duo superio-
res disjungentur. Accedit tandem Mars sub fine Junii anno 1624. qui Jove
Leonem egrediente ipse Leonem ingreditur; ubi tandem Saturnus cum sole,
Veneri & Mercurio de novo conjungetur: non secus atq; anno 1603 & 4. intra
spacium 58. dierum, 24. Conjunctiones Planetarum fiebant. Si verò una
aliqua Conjunctione vulgaris Planetarum Inferiorum singularem ha-
bet effectum, de quo hactenus in mundo dubitatum non est; quid
putabimus tum futurum, quando superiores & Inferiores mirabili
commixtione, in summâ tamen regularitate, sibi conjunguntur.
Conventus Principum in terris non sit sine gravi causâ, nec finitur
sine conclusione aliquâ rei, de quâ agitur? & nos putabimus Con-
ventum hunc & synodus Planetarum cœlestium carere emine,
præfer-



præfertim si corporis moles admiranda & influentiarum certitudo
consideretur?

XLII.

5. à Circumstantiarum omnino dispositione. Recipit subjectum, à Tempore
non secundum modum agentis, sed pro conditione suæ receptivi- circumstan-
tatis, axioma est Philosophicum; quod profectò hīc veritatem su- tū.
am ostendet. Agentia sunt Cœlestia; Recipientia sunt sublunaria;
hæc verò pessimè sunt disposita omnia, seu publica seu privata spe-
ctes. Ecclesia videt sectas, hæreses premunt eam; quotidie surgunt
qui turbant gregem D E I.; hic jactat revelationes, alter profundas
speculationes; ex aliâ parte arma Ecclesiam oppugnant; unde mul-
ti opprimuntur, quidam seducuntur, pauci reservantur. Politia au-
tem tota Christiana quām miserā facie se nunc ostendit? Papa latro
animarum & carnifex conscientiarum igne & ferro gregem parvu-
lum persequitur, seq; super omne, quod D E us est, extollit; Regi-
na, inquit in corde suo, hīc sedeo, vidua nunquam ero; accedunt
Jesuitæ, illi viva & æmula Patis Diaboli progenies, hi interdum
agunt vulpem, interdum lupum, ibi veniunt clancularii & deipiunt; hic
veniunt aperti & seviunt. Unde ardet Germania bello, dissidia sunt
inter Principes, gens supra gentem se extollit, & quo cunque te ver-
tas, nil nisi arma; furor, cædes, latrocinia, prava consilia, seducto-
res, prodiciones, & quæ inde proveniunt mala. Domestica verò tota
frigent: nulla charitas, nulla fides inter homines, non frater à fra-
tre, non hospes ab hospite tutus; Pluto in omnibus hactenus angu-
lis suos habuit satellites, qui Christum esurientem misere crucia-
runt, studia liberalia & qui his præsunt, enervarunt; Scholis & Eccle-
siis redditum, Deo honorem, laboranti mercedem, proximo bolum,
sibi conscientiam bonam eripuerunt, & totas Respublicas, proh
dolor! labefactarunt. Quod ipsum est anxietas gentium & magna
illa afflicio, qualis non fuit ab initio mundi, dicente Salvatore. Hæc
si mutabuntur, sive in melius, sive in pejus, mutatio tamen sat ma-
gna erit, illud tamen vovemus, hoc timemus; de utroq; D E U M de-
precatur, ut illud acceleret, hoc avertat.

XLIII.

6. Ab authoritate virorum illustrium. Non ex novâ persuasione, Ab autho-
ritate affectatâ prædictione, ut hodie à multis sit, id prædixerunt arti- ritate.
fices



fices clarissimi. Sit nobis unus instar omnium, Nobilissimus *Tycho de Brahe*, qui in Tomo primo *Astronomiae instauratae in Conclusione de Nova stellâ Anno 72.* p. 805. in hunc ferè modum scribit. Si septima hæc est Trigonorum in integrum ab orbe condito restitutio, quemadmodum communiter recepta ætatis Mundi numeratio admittit, ita ut prima in Enoch, secunda in Noâ & diluvio, tertia in Mose & liberatione Israelis, quarta in Regibus Israeliticis, quinta in Christo & Monarchie Romanae apice, sexta in Carolo Magno & Imperii ad Germanos translatione absoluta sit, utique septima hæc, Sabbatissimi quandam occultam rationem obtinet, & præ cæteris peculiare & magni momenti quid denunciat. Ubi animadversio ne dignum censeo, quod veluti illæ restitutio[n]es trigonicae, que impari numero exhibitæ sunt, veluti prima, tertia & quinta salutares Mundo fuerunt: sic & hanc septimam numero impari præcipue gaudentem, magni cuiusdam boni & felicioris status esse prænunciam.

Addit in eodem loco, quod singulares mutationes in mundo à stellâ novâ Anno 72. promissæ & significatæ demum in effectum sint deducendæ post annos 48. id est circa annum currentem 1623. Tychoni autem jam pridem mortuo statutus nostrorum temporum non potuit esse notus, multò minus dispositio & turbatio, quæ in his annis currentibus evenit; unde concludendum est, hunc virum oculis non imaginariis, ut sit à multis, sed Astrologicis ea vidisse, quæ in hoc genere nobis reliquit.

XLIV.

*Argumen-
ta probabi-
lia verita-
tem quoque
concludunt.*

Cæterū si cui hæc argumenta adducta videbuntur tantum probabilia, ille sciat 1. quod nos pro Apodicticis nunquam venditemus, 2. quod in hisce rebus non à priori sed posteriori tantum argumenta ducere queamus, 3. quod argumenta probabilia etiam possint apodicticam conclusionem stabilire licet non ex se eam, ut talis sit, facere possint.

XLV.

Sic demonstratum est, quod sit effectus generalis. Docendi enim causâ ante distinctus fuit in generalem & specialem; nunc de speciali agendum: potest verò hic dividi in *Publicum* & *Privatum*; ille in *Ecclesiasticum* & *Politicum*, de singulis pauca. Dum verò effectum dicimus, cum nemine de nomine litigabimus, an signatum an consequens vel effectum dicere velit; quamvis discrimin istorum nobis non sit ignotum. Quos verò sequentibus enarramus effectus non

*Effectus
speciales in
Ecclesia.*

non sunt nostræ Inventionis, sed aliorum doctorum bene multorum, quibus quin sobriè subscribamus, non videmus causas dissidentes.

XLVI.

Effectus Ecclesiasticos vocamus eos, qui circa Ecclesiæ defensionem & hostium ejus prostrationem versantur. Primum ergo assignant *Judicium Extremum*, quod esse admodum propinquum nemo Christianus dubitare potest. Interim cum Deus sub Trigono aquo, mundum diluvio submerserit, posse fieri dicunt, ut sub hoc Trigono igneo eundem igne perdat; præsestitum cum hæc Conjunction sit septima adeoq; Sabbatica, quæ fortè magnum illud Aeternitatis Sabbatum adesse monstrat. Hanc verò piam meditationem, nemo rejicere poterit; nam (Scripturæ oracula hic præsuppono, quæ diem novissimum non longè abesse dicunt) vix fiet, ut mundus tam diu stet, quam dñi hæc Revolutio Septima fuerit peracta & Octava incæperit, hoc est annis ferè octingentis; signa enim diem Extremum significantia hoc vix admittunt. Huc pertinent piæ meditationes de Traditione antiquâ Rabbinorum, de quâ Petrus Galatinus lib. 4. cap. 20. & Philippus Mornæus cap. 29. de Verit. Christ. Relig. mundum supra annum millesimum sextum non duraturum, quod & Patres non aversati sunt, ut videre est ex Ireneo lib. 5. adversus hereses cap. 28. Lætantio Firm. lib. 7. cap. 7. Divin. Instit. & Augustino lib. 29. de civit. Dei cap. 7. & aliis. Quo in sensu putant vitam æternam vocari Sabbathum, Hebr. 4. v. 3. seq. post sex dies magnas, id est millenarios, futurum. Quo pertinet typus, dum annus septimus, annus libertatis, & septies septimus Jubilæus olim à D e o est institutus. Adde ascensionem ad cœlos Enochii septimi ab Adamo, & Eliam, qui septies septimus ab hoc, vivus quoq; ad cœlos ascendit, quâ de re videatur contemplatio pia D. Nicol. Selnecceri in Epitome Physices An. 1569. Basil. editâ. Tacemus hic de signis omnibus ferè impletis, de quibus prædictum fuit, quod Diem Extremum antecedere debeant.

XLVII.

Secundum dieunt esse Papæ Interitum, quo non tantum spiritualem, qui jam bonam partem factus, sed corporalem etiam intelligunt: in illo, gladio verbi cecidit; in hoc gladio materiali cadet cum

C

sede



sede suâ meretriciâ, quem lapsum mirabuntur & dolebunt: magnates terræ ac mercatores Romani; non tamen totalem intelligunt eradicationem, sed eum ex parte manere posse putant usque ad diem novissimum, in quo Christus hunc Antichristum & mentitum vicarium interficiatur sit, 2. Thess. 2. v. 8. Quâ de re legenda erit Apocalypsis, in capite præfertim 17. Legantur de hoc argumento quidam Theologorum, ut Philippus Nicolai in Tract. de Antichristo, c. 8. 9. D. D. Höe in Commentario super Apocalypsin parte tertiam super c. 11. p. 570. D. Winckelmann in Com. sup. c. 17. & 18. Johannes Napeirus Schotlandus in comment. super Apocalypsi. præfertim super cap. 17. & 18. quibus addatur Thomas Brechtmannus Anglus, & David Pareus in Commentariis super Apocalypsin. Dicitur vero effectus hic Ecclesiasticus propter destructionem hostis Ecclesiæ, & hujus ex jugo illius liberatione.

XLIX.

Judeorum conversio.

Tertium dicunt esse *Judeorum conversionem*: nam Scriptura & hanc ante diem Extremum futuram esse prædictit Osee 3. v. 4. Sophonie 3. v. 14. Rom. 11. v. 25. 26. Quod ipsum quoq; non negant D. Aegidius Hunnius, D. Georgius Mylius, D. Fridericus Balduinus, in commentariis super caput undecimum Epist. ad Rom. & D. Meisnerus in Tractatu de Legibus lib. 4 sect. 11. q. 20. & alii.. Modum vero, locum & tempus particula- riter nemo determinare potest, an simul & semel in unum locum sint conventuri, vel an diverso tempore in locis diversis sint con- vertendi, cum scripturam hinc præviam non habeamus.

XLIX.

Effectus Po- *Effectus Politicos* vocamus, qui circa Republicas, Politias & re- litiici. gnorum mutationes futuri sunt. Primum dicunt esse *Romani Imperii labefactionem*: quatuor namq; Monarchias nobis scriptura proponit, & quartam quidem in statu diverso nobis describit, *befactatio-* quorum ultimus pedes nobis exhibet ex luto & ferro commissos, hos tam diu stare vult, donec lapis in monte revulsus sine manibus hos sit conculca- rus. Hanc labefactionem ut præsentem intuemur & ulteriorem quotidie timemus, nam tumultus bellorum, monetarum confu- sio, dominandi libido succum & sanguinem incolis exhauiunt: flos autem illius regni est nullus, in quo subditi sunt enervati; De quâ re *Politica* dicent plura.

L. Se-

L.

Secundum dicunt esse *Turcarum Interitum*, nam ominantur, *Turcarum* sicut Regni Turcici factum est incrementum sub Trigono aquo; *interitus*. ita illius futurum est decrementum sub Trigono igneo. Huc facit prædictio *Exechielus cap. 38. v. 39.* *Apoc. cap. 20. v. 8.* ubi non spiritualis, sed corporalis clades innuitur, armis, bello & cæde insigni futura; quam Dominus exercituum in gentem Gog & Magog exercebit. Quà de re satis utiliter legi potest *D. Philippus Nicolai in libro de Regno Christi.*

L I.

Tertium applicant ad *mutationes Individuales Regum, Electorum, Principum, Regnorum &c.* huic incrementum, illi decrementum; huic victoriam, illi cladem, aliis honores &c. promittunt. Verum non cuiusvis est hæc pronunciare, quidam enim hic reguntur magis affectibus quàm aspectibus; magis quid fieri velint, vovent, quàm quid futurum sit, sciunt. Adde, quod sit periculose dicere veritatem, quæ odium parit. Maximam tamen partem dicunt Gentibus sub Leone sitis magnam indicari mutationem; cum Conjunctione in Leone fiat, & Cometa nuperrimus in eo sit extinctus: *habet autem Leo Galliam, Alpes, Italianam, Siciliam, Bohemiam, Turcicam partem, Romanam, Rayennam, Cremonam, Ultiam, Pragam &c.*

L II.

Effectus privati sunt, qui pertinent ad personas privatas, ubi Effectus animadvertis est transitus Conjunctionis per loca Hy legalia privati, & alias domus; sicut enim alias Conjunctiones aut Eclipses, ita & hanc mutationem afferre homini, nullum est dubium.

L III.

Sed manum de tabula: Diximus de Conjunctionibus Magnis *Conclusio.* & de his ultimis Ignei Trigoni, adeoq; nuperrima in Specie: Deus, qui regit astra, signis hisce de cœlo monstratis, monstrat tandem felicia complementa, & finem rebus humanis imponens nos deducat ad æternas gaudiorum felicitates. Interim dum hic sumus in militia, Ecclesiam defendat, hostes ejus propellat, & nos ita animet, ut peractâ hâc militiâ strenuè, ibi triumphemus victoriâ gloriose, cui sit laus & honor in secula seculorum.

COROL.

COROLLARIA.

I.

An cœlum vel terra moveatur? prius Af.

II.

*An Astrologica predictiones sint vanae & con-
temnenda? N.*

III.

An Astrologia sit inventa ab Ethnicis? N.

E I N I S.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-585620-p0023-0

DFG



Wittenberg. Diss., 1613/23


ULB Halle
002 673 304

3




Vd 17





Farbkarte #13



B.I.G.

XXVII
DISPUTATIO

PHILOSOPHICA,

De

CONJUNCTIONIBUS
MAGNIS IN GENERE,

& de

NUPERRIMA, QUÆ MENSE
JULIO ACCIDIT, IN SPECIE.

Quam

Juvante D E O

Astrorum Conditore ac Moderatore

P RÆ S I D E

M. JOHANNE MÜLLERO
VRATISLAVIENSI SILESIO, DESI-
GNATO PHILOSOPHIÆ PRACT.

PROFESSORE PUBL.

P U B L I C O E X A M I N I
proponit

M. JOHANNES SCHWALBE,
Misnensis Misnicus, Alumnus
Electoralis,

*Ad diem 8. Augusti, horis matutinis,
in Auditorio majori.*

W I T T E B E R G E ,

Typis CHRISTIANI THAM, Academ. Typogr.

M D C XXIII.

30

39

1623

26

